



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXXVII. De Combustione suburbii Junigede.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

dabat & eadem viâ, quâ venerat, rediit Raganitam. Contigit autem ipsum transire per quandam villam infidelium, qui ei viam rectam versus Raganitam, dum pro ipsa quæreret, ostenderunt. Sed dum non longè processisset à dicta villa, infideles videntes ipsum armatum, dixerunt ad invicem: utique iste est de exercitu fratrum, sequamur & occidamus eum. Accurrunt ergo omnes cum tota familia & canibus ipsum quærentes. Ille audito clamore canum & hominum abscondit se in sylva vicina, sed infideles advenientes sæpius ipsum circuibant & quasi à DEO percussu acrisiâ, ipsum non viderunt. Tandem fatigati ab inquisitione destiterunt, quo facto ille Christianus adhuc indutus armis suis venit Raganitam, & intrans Ecclesiam, procidit ad genua sua, & DEO & B. Virgini de tanto beneficio sibi exhibito gratias referebat.

CAP. CCCXXVII.

De

Combustione suburbii Junigede.

HOc etiam anno in die B. Matthæi Apostoli idem Marschallus cum magno exercitu venit ad campum Talsen, & mille & quingenti equites relictis equis sub vexillo fratrum pedestres transiverunt sylvam, dictam Wint, & in ortu diei dum vellent occultè accedere ad castrum Junigedam, & expugnare, castrenses præmuniti, accenso igne per indicium fumi vicinis gentibus fratrum exercitum prodiderunt. Præcedentes itaque fratres dictum castrum fortiter impugnaverunt, tandem post longam altercationem habitam inter eos, dum amplius agere non possent, suburbium dicti castri in cinerem redegerunt. Hoc factum dum fratres recederent & vicinæ gentes viso fumo ignis prædicti convenerant, & ipsos sæpius hostiliter inyaserunt, sic quod multi

multi utriusque partis graviter vulnerati fuerunt, & Fr. Th. de Piremont occisus & plures de infidelibus interfecti.

CAP. CCCXXVIII.

De

Suburbiorum destructione Castrorum.

Junigeda & Pista.

Anno Domini MCCCXVIII. in autumno frater Henricus Marschalcus cum magno exercitu venit ad castra Junigedam & Pistam, & utriusque suburbia, quæ tunc frumento de novo introducto superabundabant funditus cremaverunt.

CAP. CCCXXIX.

De

Exustione suburbii castri Junigede.

Anno Domini MCCCXIX. post festum Pasce idem Marschalcus cum multis fratribus & pugnatoribus navigio veniens, voluit castra Junigedam & Pistam expugnare; sed cum ordinatio ab ipso statuta, quæ ad hujusmodi impugnationem fuit necessaria, debito modo non servaretur, indignatus omisso castro Pista, quingenti viri occultè accesserunt ad castrum Junigedam & inveniunt ipsum præmunitum, solum ejus suburbium, subverterunt.

CAPUT CCCXXX.

De

Occisione LV. Lethowinorum.

Hoc anno cum esset aquarum abundantia in solitudine David Castellanus de Gartha cum octingentis viris exiens ad

Ccc 3

bel.